



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. De causa exemplari provt complementum est causæ efficientis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

enim sequeretur, quod nec esset meritum, nec peccatum, nec libertas vita, imò neque ullus actus vitalis, sed solus Deus & bene ageret, & male; & videret, & audiret.

Secunda
probatio.

Secundò, idem euincit experientia; videmus enim organa diuersa in viuentibus, quæ si nihil agerent, essent inutilia. Sentimus etiam non agendo fatigari, & videmus agens naturale inuadere passum, illud alterare, debilitare paulatim qualitates eius contrarias, ac tandem vim eius infringere, aliquando citius, aliquando tardius; quod argumento est, agere causas naturales, non autem solum Deum; alioqui producerentur æquè velociter effectus omnes, cum nihil sit in rebus creatis, quod possit retardare adiuuitatem Dei Creatoris, à quo certum est accendi æquè posse lignum viride ac siccum. Deinde si non ageret causa creata, manifestum est quod ad quamlibet distantiam effectus produci possent, nihil enim distans est respectu Dei. Deinde qualitates elementorum non cognoscimus, nisi ex earum actionibus. Idem v.g. nescimus esse calidum, nisi quia calefacit.

Ratio.

Tertiò idem euincit aperta ratio, quia potentia operandi perfectio est primi entis non minùs participabilis à creaturis, quàm ipsum esse; cur enim non æquè potuit Deus illam tribuere agentibus creatis? præsertim cum vnunquodque non sit nisi operationis sue gratia: omnia igitur frustra essent, si nihil operarentur. Denique cum viuentia non constituentur nisi per facultatem immanenter operandi, certè sublata illa facultate, sequitur, nulla in creatis esse viuentia. Vnde rectè concluditur, causas secundas esse verè causas effectiuas, tum æqui-uocas, tum vniuocas, à quibus prodit mirabilis illa varietas effectuum, quæ tamen non est à solo creatore, mirabiliter potentiam eius declarat.

Definitio
causæ effe-
ctiuæ.

Dico secundò, causam efficientem rectè definiri ab Aristotele textu 29. *Est id vnde est principium primum motus & quietis*: id est, primum principium à quo procedit actio & effectus.

Ratio est, quia sicut propria causatio materiæ est ut sit subiectum primum; & propria ratio formæ, ut sit actus constituens; & finis, ut sit vltimum & optimum propter quod fit aliquid: ita proprium efficientis munus est ut sit principium operandi; non agunt autem res nisi mutando: & quia motus omnis ad quietem ordinatur, nulla res esse potest principium motus, quin principium etiam sit quietis. Dicitur ergo causa efficiens, *principium primum*, quia concursus causæ efficientis est ordine naturæ prior, quàm concursus causæ materialis & formalis, cum vera sit hæc causalis, *Ideo materia & forma c. usant, quia causa efficiens agit*. Finis autem est prima in ordine intentionis, sed in ordine executionis prima est causa efficiens, à qua est actio; & sic optimè potest explicari, quomodo causæ subordinata aliis causis, quomodo causa instrumentalis, quomodo is qui ex alterius agit consilio aut imperio, sint causæ reuerà efficientes, & prima principia motus, non per comparisonem ad alias causas efficientes, sed per comparisonem ad materiam formam & finem. Denique dicitur principium, à quo motus est, & quietis, ut distinguatur à materia, quæ illud est ex quo procedit motus; à forma, quæ id est, ad quod; à fine, propter quem fit motus: sola verò efficiens est id à quo procedit actio. In quo etiam distinguitur à natura, quam designebam cum Philosopho, primum principium, vel actiuum, vel passiuum, motus eius tantum in quo est: causa verò efficiens principium est actiuum tantum, tum in eo in quo est, tum in alio.

A Superessent hæc diuisiones causæ efficientis, quas ferè tradebam *quæst. 1.* Sola restat diuisio causæ in principalem & instrumentalem, de qua dicam *sect. 3.* nunc duo explicare proposui complementa effectiuæ causæ, causam videlicet idealem & instrumentalem.

SECTIO II.

De causa exemplari prout complementum est causæ efficientis.

Tota Platonis Philosophia in sola ferè versabatur contemplatione causæ idealis, & in eius cognitione omnia ponebant eius discipuli; adeo ut asserat Clemens Alexandr. lib. 4. Stromatum, *disiisse sapientissimè Platonem, eum, qui contemplatur ideas, videri esse Deum inter homines*. Et Augustinus lib. 83. qq. quæstione 46. *Tanta quidditas in illis vis constituitur, ut nisi illis inellektis sapiens esse nemo possit*. De illa igitur causâ, ut plenè dicam, tria mihi video necessaria. Primò eius definitio, diuisio & necessitas: secundò propria eius quidditas, siue utrum sit conceptus formalis, an obiectiuus: tertio ad quod genus causæ idea pertineat.

§. I.

Causa idealis definitio, diuisio, necessitas.

Certum est primò, ideam in genere rectè definire, *Est imago rei faciendæ, quæ dirigit actionem intellectualis agentis, seu quam agens operando imitatur*. Idea enim generatim appellatur imago aliqua rei faciendæ, & hoc vnum sonat nomen exemplaris, atque ideæ, quod significat formam & simulacrum rei faciendæ per opificem; quod enim Græcè, *idea*; latine, *forma*, dicitur, ut exponit saepe Cicero, & Augustinus appellat eam, *speciem*; *rationem*, *formam*: Dionysius, *exemplaria*, & effectrices *rationes*, id est *imagines non emortuas, sed opera iuas* (ut explicat Damascenus lib. 1. de imaginibus.) Anselmus autem in Monologio c. 3. *Præ se deus aliquid in ratione faciens exemplum rei faciendæ, speciem suam iudicem, regulam*. Nec malè Ludouicus Viues notat in lib. 7. *cimitatis*, à spectando, dictas esse *ideas*, quia dum artifex operatur, ideam respicit. Idea ergo forma est, & exemplum rei formandæ; forma (inquam) non intrinseca rei, & eius constituens essentiam; sed forma distincta realiter, & à rebus separata, quarum est forma, imago videlicet illarum: imò nec quælibet imago idea est, sed illa solum, quæ opificem dirigit.

Certum est secundò, ideam aliam esse externam, aliam internam: externa est externum aliquid, idea, quod imitandum proponitur, ut Cæsar idea est externa imaginis, quæ Cæsar representatur; quod magis appellatur prototypum, & exemplar, quàm idea, neque in omnibus reperitur artefactis, neque semper dirigit agens. Idea interna, simulacrum est, & imago in mente formata, quæ dirigit ipsum agens. Et hæc iterum est duplex: primaria, quæ immediate dirigit agens: secundaria, quæ dirigit mediante alio. Vnde sequitur, rectam esse definitionem ideæ nuper traditam, quia conuenit omnibus ideis, tum internis, tum externis; aliæ verò vel soli conueniunt ideæ externæ, vel soli internæ secundariæ, ut cum dicitur, idea est id quod artifex intuens, aliquid aliud, ad eius similitudinem facit: vel idea est, quod artifex imitatur operando; melius tamen, ut

Quæst. III. Sect. II. de Causa exemplari. 143

ut patebit, idea vocatur imago; quæ dirigit actionem operantis.

Necessitas
causæ idea-
lis.

Certum est tertio, ideam non esse aliquid finem, sed eam in omni agente intellectuali reperiri; sic enim asserunt Philosophi omnes, & Theologi. Primum enim probat S. Thomas, optima ratione, quia est necesse ut in omni agente forma præexistat rei faciendæ: in intellectualibus autem agentibus illa non potest præexistere nisi secundum esse intelligibile; forma enim domus faciendæ non potest esse in architecto, nisi secundum esse intellectuale; quæ forma vocatur idea, & tota ratio artis; ars enim idea est, seu regula rei faciendæ. Secundò hæc est ratio, cur in Deo non possint ideæ negari, quia scilicet illis sublati Deus non esset artifex sapiens, nec ex ratione operaretur, imò sequeretur illum cum operaretur, vel antequam operaretur, nesciuisse quid faceret, si apud eum ratio faciendæ non erat, ut bene dicitur Augustinus lib. 1. retract. c. 3. quia, ut docet Anselmus in Monol. Non potest ullo pacto rationabiliter aliquid fieri ab aliquo, nisi præexistat in mente operantis aliquid exemplum rei faciendæ. Ideo vocat S. Dionysius ideam *noyos* & *noyos* rationes effectrices essentiarum. August. principales formas, quæ cum ipsa formata non sunt, neque oriuntur, neque intereant; secundum has tamen formari dicatur omne quod oritur, vel inierit. Et lib. 7. civitatis, refert Varronem interpretari ideam Mineram, ex mente Platonis, qui dixit in Timæo, adfuisse Deo condenti mundum exemplar quod inspiceret, id est rationem, ideam, mentem. Neque sanè aliud significat mundus ille intelligibilis, ex quo aiunt Plato, Clemens Alex. Philo, & alij, natum esse mundum visibilem, quam divinas ideas, siue, ut ait Philo, rationem Creatoris creare cogitantis: & alias, primitivæ sigilla mundi visibilis, iuxta illud Apostoli Hebr. 11. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Sic enim explicat Anselmus, & notum est illud Boët. Tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse, mundum mente gerens. Potest autem pulcher hic mundus intelligi esse divinum Verbum, primitivæ idea ideatum omnium, quia ex propria notione sua est ratio, & sapientia per quam omnia fiunt, & sine qua factum est nihil. Sed de divinis ideis plura tradunt Theologi 1. parte.

§. II.

Quenam sit causæ idealis propria quidditas: siue, utrum illa sit conceptus formalis, an obiectivus.

Conceptus
formalis &
obiectivus.

Tria hæc, quæ dixi hactenus de idea, difficultatem non habent, & comperta sunt apud omnes: nunc difficultus controuertitur, utrum imago illa, quæ operationem dirigit agentis per intellectum, sit conceptus ipse formalis, seu cognitio artificis; an verò conceptus obiectivus. Appellatur videlicet conceptus formalis cognitio ipsa rei, quæ imago est & forma rei cognita in mente concepta; conceptus autem obiectivus est ipsamet res, propterea obicitur cognitioni, seu ipsa res in esse cognita: nam quoties res aliqua cognoscitur, seu obicitur intellectui, dicitur mente concipi, & accipere quoddam esse, quod appellant obiectivum. Difficultas igitur est, utrum idea sit cognitio ipsa rei faciendæ, an verò res ipsa faciendæ propterea cognita.

Conclusio.

Dico primò, ideam primariam, & internam esse

A conceptum formalem; conceptum autem obiectivum esse ideam solum secundariam. Ita docent Suarez disp. 24. sect. 5. Valques 1. parte, disp. 72. cap. 1. & 2. Valent. 1. parte, quæst. 15. puncto 1. & alij, quos citant. Contrarium verò censent Molina, Gradius, Albertinus, Scotus; & videtur tenere S. Thomas 1. p. quæst. 15. art. 2. & quæst. 3. de veritate.

Ratio est primò, quia ideæ diuinae sunt conceptus ipse formalis diuinus, seu cognitio Dei de creaturis faciendis; non autem creaturæ ipsæ, propterea cognita; nam ideæ illæ, ut ex Patribus nuper dixi, sunt imagines & exemplaria rerum, quæ à Deo faciendæ sunt; res autem ipsæ non sunt imagines rerum. Deinde ideæ formæ sunt in Deo ipso præexistentes, ut dixi ex S. Dionysio, internæ, immutabiles, substantificæ, ad quarum similitudinem omnia facta, & formata sunt. Imò ideæ sunt mundus intelligibilis, rationes rerum creandarum, & causæ primordiales illarum: quæ omnia soli convenire possunt diuinæ cognitioni, non autem creaturis ipsis. Sola ergo cognitio est idea, non autem res ipsa in esse cognita.

Secundò. Illud solum idea est proxima & primaria, quod solum proximè dirigit & determinat agens intellectuale ad operandum: sed illud est conceptus formalis, non obiectivus: ergo conceptus formalis est idea primaria, non conceptus obiectivus. Probatur minor: nam illud non immediatè dirigit operantem, quod dirigit mediante alio; sed conceptus obiectivus dirigit operantem mediante conceptu formali: ergo conceptus obiectivus non immediatè dirigit. Et confirmatur, quia idea in artifice est ipsamet ars; artem autem certum est esse conceptum formalem intra ipsum artificem, non autem conceptum obiectivum: ergo idea est conceptus formalis, non obiectivus.

Obicitur primò. Illud est propriè idea, quod artifex operando imitatur: sed artifex in operando imitatur conceptum obiectivum potius quam conceptum suum formalem; artifex enim non imitatur nisi quod cognoscit; non cognoscit autem, neque considerat conceptum suum formalem, sed conceptum obiectivum, quem propterea solum imitatur: ergo conceptus obiectivus idea est, non conceptus formalis. Confirmatur, quia sicut exemplar externum, est illud externum simulacrum, quod artifex imitatur; ita etiam exemplum internum, illud est, quod imitatur artifex operando.

Respondeo ideam remotam, & secundariam esse id, quod agens intellectuale propriè imitatur; ideam autem proximam & primariam non esse id, quod propriè imitatur artifex, sed quod dirigit agens proximè & primariò. Dupliciter enim potest agens aliquid imitari: Primò formaliter, secundò representatiuè. Formaliter imitatur id, ad cuius similitudinem facit aliud, ut cum domum unam facit alteri similem; cum pingit imaginem Cæsaris, & Cæsarem ipsum exprimit. Representatiuè imitatur, quando facit opus, quo modo faciendum esse representatur conceptui; & hoc modo agens imitatur suum conceptum formalem, format enim opus eo modo, quo dicitur conceptus formalis; conceptum autem obiectivum non imitatur ullo modo, quia non facit opus simile ipsi operi, sed solum ideam externam propriè imitatur.

Obicitur secundò. Idea est id, quo artifex in-

Secunda
tuens obiectio.

tuens aliquid, aliud ad eius similitudinem facit: sed artifex non intuetur conceptum suum formalem; architectus v.g. intuetur domum faciendam, non conceptum domus.

Resp. illam esse solum definitionem ideæ remotæ ac externæ, quia illam formaliter intuetur, & imitatur artifex; ideam verò internam & proximam non intuetur artifex formaliter & in actu signato, sed virtualiter tantum, & in actu exercitò, quatenus scilicet per illam dirigitur operando, atque aded intuetur illam saltem æquiualem.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio, dici communiter à Patribus, quod plures in Deo sunt ideæ: v. g. dicit Augustinus lib. 83. q. 99. quæst. 46. quod alia ratione conditus est homo, alia equus. Sed conceptus non sunt in Deo plures: ergo conceptus formalis non est idea.

Resp. non esse in Deo plures ideæ primarias, dici posse esse plures ideæ secundarias. Idea diuina primaria est ipsa cognitio diuina rerum omnium faciendarum, in qua proximè fundatur scientia Dei practica; estque, ut sæpe dicit Augustinus, *ars omnia scientis, & omnia potentis Dei*. Creatura verò faciendæ, prout cognita, sunt ideæ secundaria, quæ dirigit mediante cognitione. Idea ista est in Deo multiplex, ars verò & idea primaria non est nisi vna. Essentia verò diuina non est ideæ proxima, sed est ideæ remota, & prototypon æquiualeus ideis externis, quibus vtuntur artifices creati.

§. III.

Ad quod genus causa pertinet causa idealis.

Conclusio.

Dico secundò, causam idealem pertinere ad causam efficientem, non autem ad causam formalem. Ita communiter censent omnes, contra Fonsecam, & Conimbricenses, qui reuocant ideam ad causam formalem.

Probatio.

Ratio est, quia illud quod causam efficientem in actu primo complet ad producendum effectum, pertinet ad causam efficientem: causa idealis complet eo modo causam efficientem in actu primo; sicut enim agens naturale completur ad agendum per formam naturalem, & constituitur per eam in actu primo, sic agens artificiale completur ad agendum per formam artificialem, seu per ideam; & sicut agens naturale determinatur per suam formam ad producendum effectum sibi similem, ita determinatur agens artificiale per suam ideam ad producendum opus simile formæ præconceptæ.

Prima obiectio.

Obiicitur primò, Causalitas ideæ consistit in quadam passiva imitatione alicuius formæ obiectæ intellectui: ergo idea est causa formalis; vnde à Philosopho etiam sæpe vocatur forma.

Resp. negando antecedens; causalitas enim ideæ non est passiva illa imitatio, sed actio ipsa efficientis; non enim alio modo idea concurret, quam vt causa efficiens, quatenus pertinet ad constitutionem eius in actu primo: imitatio ergo illa passiva, seu representatio, est potius principium cauandæ causæ idealis, quam eius causalitas; & propterea vocat eam Aristoteles *formam*. Vel etiam quia idea duplicem dicit respectum, primò ad artificem, cuius intellectui inhaeret more aliorum accidentium, & sic est causa formalis: secundò, ad effectum, seu exemplatum; & sic forma non est, sed causa efficiens.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, Finis non minùs determinat causam efficientem quam idea: ergo si propter

A hanc causam idea pertinet ad causam efficientem, pertinebit etiam ad eam causam finalem, tunc qua incompletum etiam in actu primo est agens.

Resp. disparem esse rationem ideæ, & finis, quia finis supponit agens completum in actu primo, & illud non determinat nisi metaphorice, alliciendo per sui desiderium: idea verò complet agens intellectuale in actu primo, & illud perficit in ratione causæ efficientis, ad quam etiam propterea pertinet.

SECTIO III.

De causa instrumentali.

Alterum causæ efficientis complementum est causa instrumentalis, cuius quidditas vt intelligatur, dicendum est primò, quid, & quotuplex sit causa instrumentalis; secundò, quænam requirantur ad rationem instrumenti; quomodo scilicet illud sit ignobilis effectus; quomodo illum contineat, & quomodo debeat pendere à causa principali.

Certum est primò, causam instrumentalem in genere, *illam esse quæ agit inquam virtus alterius*; tunc verò causam agere vt virtutem alterius, quando producit effectum sibi non proportionatum, & alteri debitum. Primò enim ita videtur sonare nomen ipsum instrumenti, quo nihil significatur, nisi quod producit operationes, non sibi, sed alteri debitas; seu esse principium quo aliud operatur: hoc autem est esse virtutem alterius. Deinde non aliter explicari commodè potest ratio instrumenti; non enim rectè instrumentum illi definiunt, cui effectus non tribuitur nisi cum additamento; multa enim sine dubio instrumenta sunt, quibus tribuitur effectus; nam Sacramenta v.g. producant sanctitatem.

Cur autem cum additamento tribuatur, id ipsum est quod queritur. Secundò etiam non rectè definiunt instrumentum, qui dicunt illud non mouere nisi ab alio motum; instrumenta enim separata, vt semen, non mouentur à causa principali; & calor cum producit ignem, nullum accipit motum ab igne, cuius instrumentum est. Tertio male alij negant, effectum ipsum produci ab instrumento, sed prauas duntaxat dispositiones, quia in artefactis hoc manifestè falsum est: serra v. g. lignum scindit, & in naturalibus statim probabitur, quod accidens producit substantiam. Denique non est satis dicere cum aliis, quod instrumentum non agit nisi eleuatum à causa principali; non enim explicari potest, quid sit illa eleuatio, cum causa principalis sæpe sit distans quando instrumentum agit. Sola igitur valere allata definitio instrumenti; quod nimirum agat tanquam virtus alterius, producendo effectus non sibi debitos, sed alteri.

E Certum est secundò, instrumentum multipliciter solere diuidi: primò enim aliud est instrumentum coniunctum, aliud separatum. Coniunctum est, quod non agit nisi coniungatur agenti principali; huiusmodi sunt omnia instrumenta artis. Instrumentum separatum illud est, quod agit sine causa principali, vt semen producat arborem. Secundò diuiditur in instrumentum naturale, artificiale, & obediens. Naturale illud est, quod à natura ipsa institutum est pro effectum aliquo naturali producendo, vt calor instrumentum est naturæ animæ ad opera vitæ. Artificiale, quod assumitur ab artifice ad opus aliquod perficiendum, vt penicillus ad pingendum, calamus ad scribendum. Obedientiale, quod à Deo assumitur ad effectus supernaturales, vt aqua

Definitio instrumenti.

Diuisio instrumenti.